

§. 3. Crassa est Aqua non Absolutè, sed comparatè, terrâ enim tenuior, crassior verò aere. Si enim terrâ crassior esset quomodo piscibus cederet? De quibus David Psal. 104. 25. & 26. *Ipsum mare tam magnum & dilatatum est spatium: Ibi reptilium & nullus numerus animantium parvorum cum magnis, Ibi naves ambulant & Cetus, quem formasti ludendo in eo.*

§. 4. Mutabilis aqua est; ratione enim Solis vel accessus, vel recessus modò calida est modo frigida, modo tepida: Estq; etiam pro ratione fundi vel impura, vel pura: Quemadmodum enim reliqua Elementa nobis impura sunt relicta, ita & aqua: Si autem datur alicubi purum Elementum aquæ, verisimile est reperiri ubi & maxima est ejus copia, & maximè tum ab aère tum à Terra distat, ut in profundo maris, ubi aquam non ut in summitate esse salisam testatur Philosophus cum aliis, Arist. s. 23. probl. probl. 4.

§. 5. Motum Aquæ quod concernit, isti attribuimus simplicem, qui fit per lineam rectam, ita ut semper ad medium deferatur. Hic autem quia de motu agitur, quaeritur an Fluviorum motus, qui fiunt per mæandros & anfractus, sint naturales? Respondemus, quod sint partim naturales, quia ab Aquæ gravitate ob quam in loca decliviora defluit, proveniunt: partim vero non, quia naturalis aquæ motus, cum sit rectus, debet esse brevissimus, fluviorum tamen in mare decurrentium motus longo itinere & sinuosis conficitur anfractibus. Vide de his F. C. d'. Abra de Raconis. Disp. de Elem. l. 3. Disp. 2.

§. 6. Quemadmodum Aër putredine, sed analogicè sic dicitur pro ratione accidentium afficitur, ita & Aqua: sed vitium hoc potissimum oritur ex Terræ fundo impuro, vel cum planè non movetur, ut dicit Ovidius l. 1. de Ponto.

*Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,*

*Ut capiant vitium, ni moveantur Aqua.*

THEMA III.

Causa efficiens Aquæ est Deus, qui omnia creavit & conservat.

B

Mate